



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 10. Nec ante oculos pennatorum frustra rete spargi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

tes junxit ad currum, & sic est vectatus juxta domum regiam, idq; privatim in agris suis fecit. Processit in publicum, & quatuor cervis junctis ingentibus. Junxit sibi & leones, Matrem magnam se appellans. Junxit & tigres, Liberum sese vocans. vsq; adeò bestia ab humana natura, non tantum arcentur, ne necent, sed etiam ad luxum, & ad superbiae triumphos, domantur.

## §. X

*Nec ante oculos pennatorum rete frustra spargi.*

Iac. 3. 7.

Pro. 1. 17.

Ait autem Apostolus non tantum *omnis natura bestiarum*, sed etiam *volucrum, & serpentium*, domantur, & *domita sunt à natura humana*. At nunquid alibi dicitur: *Frustra jacitur rete, ante oculos pennatorum?* quo modo ergo volucres domantur? Domantur omnino. Nam 1. ibi Hebraei per interrogationem legunt, exponuntque in hunc modum: *Gratisne rete spargitur in oculis pennatorum?* quasi dicas: *minimè*. experientia enim est, cassibus tegi aves, adeoq; frustra non jaci rete, ante oculos pennatorum. 2. Alij, sine interrogatione, legunt, aiuntq; sensum esse, idcirco frustra, ante avium oculos rete expãdi, quòd tanta sit stoliditas earum,

earum, vt non idcirco reddantur cautiores, & aucupum insidias euitent; sicut & flagitiosi homines prædæ intenti, pericula non æstimant, quibus ob eam exponuntur. 3. Alij non ad vecordiam, sed ad innocentiam auium, hanc sententiam referunt; vt sit sensus: *frustra*, id est, gratis, aut sine culpa atque immeritò retia tenduntur auibus, cum neminem læserint, nulli injuriam irrogarint. Quo pacto prædones quoque, contra jus & fas, innocentibus insidias moliuntur. 4. Alij ad aues velocissimi volatus, quales sunt vncungues & rapaces, id trahunt, quibus tanquam noxijs non *frustra*, nec immeritò laquei sparguntur, sed ex caussa. Quare significantiùs septuaginta verterunt. *Non frustra extenduntur retia pennatis.* Quæ omnia dominium hominis, etiam in volandia confirmant. Nam etsi auium nonnullæ, vt passerres, picæ, callidiores, difficiliùs capiuntur; *Quæq; nimis parent retia, vitat auis*, etiam minùs astuta; capiuntur tamen, si laquei abscondantur; si retia viridi colore gramini ac herbis similia ponantur; si illicibus cantatricibus rami vicini visco illinantur; & mille alijs modis.

B b

Quid

S. Greg.  
lib. 17.  
Moral.  
cap. 10

Quid nota testimonijs fulcio? Clamant  
 oscines in caueis, aues altilis in corribus,  
 toti chori in auarijs, capi, vinci, domari  
*omnem naturam volucrum* posse. Ardea,  
 Diomedæa auis, tam altè non volat; nec  
 aquila tam longè prospicit à folio Iouis;  
 nec trochilus tam velociter currit per lit-  
 tora; nec tam citò se in aquis condit vri-  
 natrix; nec tam cautè diem vitat vlula;  
 nec tam forti se vngula defendit struthio-  
 camelus, Africus, vel Æthiopicus, quin hu-  
 mana industria manuque capiatur, teste-  
 Ouid. l. 1. tūrque, *Sanctius his animal, mentisq; capa-*  
 Metam. *cuis alta, & quod dominari in cætera possit,*  
 hominem esse.

## §. XI.

*Aues ad cantum & sermonem instructæ.*  
 Capi parum est, etiam blandiri, discunt, vt  
 passer Catulli, & Stellæ columba; quin &  
 artes docentur; neque ad cantum modò  
 juxta Musicæ leges temperandum, frin-  
 gilla, chloris, carduelis, luscinia, passer-  
 Canarinus, & aliæ id genus aues; sed etiã  
 sturnus, pica, cornicula, coruus, psittacus  
 ad ipsa verba humana, sermonemq; æmu-  
 landum instruuntur. Agrippina Claudij  
 Cæsaris coniux turdum habuit, quæ si au-  
 disset